 

153

Sigismundus primus rex Poloniæ,
civitatibus ducatus Barensis.

Nobiles et egregii fideles nostri dilecti. Acce:
pimus literas, quibus nobis dolorem ve:
strum de obitu illustrissimæ ducis etc: et
fidem vestram erga nos declaratis, de quo
non aliter nobis persuadebamus, neque dubi:
tavimus, quin in eo eventu vos ita exhi:
beretis, uti probos et fideles subditos decet.
Nos etiam volumus ea erga vos gratia
et æquanimitate uti, et tales vobis officiales
præficere, ut nobis subesse nunquam iure
pœnitere poteritis. Molestum est nobis quod
Joannes Franciscus de Crema ærarius, ita
male se in officio suo conservavit, et pro:
inde commisimus ne deinceps officium i:
psum obeat, sed maneat in arce nostra Ba:
rensi, constando in sindicatu, et responden:
do omnibus quibus iniurius fuerit, neque
posthac ad civitatem vestram redeat. Reli:
qua ex oratoribus nostris, quos ad stabi:
liendum totum istum statum, et ad pro:
videndum defectibus omnibus, si qui sunt
misimus, clarius intelligetis, iuxta quorum
ordinationem vos, uti probos et fideles sub:
ditos decet, conservabitis. Datum 1524.